



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Appendix ad Regulas circa Concilia, in quo de Synodo Diœcesanâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

lium Provinciale venire nolentes, hi foli, qui è Conciliis *Aurelian. Tolet. & Basiliensibus* eruuntur, non sunt de numero pro prima Parte *Regule* allatorum; atqui Canon *Toletanus* eandem pœnam præcipit, ac allati: Canon verò *Basiliensis* non est ad rem; quia loquitur de his, qui nolent venire ad Concilium Generale, qui Concilium Basileæ convocatum, aliudque alibi celebrare tentarent, & hic sermo fit de his, qui Provinciali adesse nolunt, nec tentant tamen Concilium Schismaticum celebrare. Canon verò *Aurelianensis* unius tantum pœnæ, nempe semestris à Missarum celebratione suspensionis, meminit.

Dicitur in *Regula*, hæc pœna indigitari; quia Canon *Aurelianensis* non expressè innovatur à Concilio Tridentino; sed inter alios innovatos ab eo, tantum indicatur.

§. VII.

Quæ agenda in Concilio Provinciali?

REGULA.

Circà agenda in Concilio Provinciali, non alia leguntur in Corpore Juris Canonici, quam quæ sequuntur.

1. Concilium Provinciale, per singulas Provincias, omnia debet administrare, & gubernare. Quod restringendum, tum ad Causas, quæ omnes Provincie Episcopos, vel plerosque, vel saltem duos simul tangunt; tum ad Causas, in quibus, vel Episcopi accusantur, vel ab his appellatur; has enim Causas ad Concilium pertinere ex infra notandis patebit, secus de aliis. C. 9. CAUS. IX. QUÆST. II. C. 16. CAUS. III. QUÆST. VI.

2. Omnes Causas Ecclesiasticas ventilare, vel in prima, vel in secunda Instantia examinare, scrutari, discutere potest; sed non omnes definire: majorum enim definitio, Sedi Apostolicæ reservatur. C. 5. 6. 7. CAUS. III. QUÆST. VI.

3. Quæ correctione & reformatione digna sunt, cum Dei timore tractare debet. C. 25. de Accus.

4. Relegendi sunt in eo aliorum Conciliorum Canones Provincie bono necessarii, utilesque; atque, ut serventur, in transgressores pœna est infligenda. C. 25. de Accus.

5. Instituenda ab eo, per singulas Dioceses, personæ idoneæ, providæ, scilicet, & honestæ, quæ intrâ tempus ab uno ad aliud Concilium elapsurum, ea, quæ corrigenda & reformanda sunt simpliciter & de plano, absque ulla Jurisdictione, sollicitè investigent: eaque Concilio deferant. *ibid.*

6. Clericus sive de suo, sive de alio, conquerratur Episcopo, in Concilio Provinciali judicandus est. C. 46. CAUS. XI. QUÆST. I.

7. Injustè ab Episcopo excommunicatus, appellare potest ad Concilium Provinciale: quod extendendum ad omnes conquerendi causas, quas Diocesanus quisque contra suum habet Episcopum. C. 2. 4. 5. 30. 31. CAUS. XI. QUÆST. III.

8. Episcopus graviter delinquens, à Papa in Concilio Provinciali deponitur. Concilium hanc potestatem habet in Gallia. Si verò ejus culpa non sit de positione digna, ab ipso Concilio punitur. Quæcumque sit Episcopi Causa criminalis, in Concilio tractatur. C. 10. CAUS. XI. QUÆST. III. C. 23. CAUS. XII. QUÆST. I. CAUS. V. QUÆST. IV. C. I.

9. Presbyter & Diaconus deponi non possunt, nisi in Concilio Provinciali, in quo cum Episcopo conveniunt; sed differunt ab illo, in eo, quod, ad Diaconum deponendum, tres sufficiant Episcopi, & ad deponendum Presbyterum, sex: ad depositionem verò Episcopi, duodecim Episcopi requirantur; ac Papæ autoritas; juxta Disciplinam à falsis Decretalibus investam; quoad postremum. C. 15. QUÆST. VII. C. 3. 4. 5. ead. CAUS. & QUÆST. citantur à Cap. 2, de Panis.

10. Quæstiones inter Episcopos, de Parochiis apud Concilium Provinciale judicandæ sunt. C. 1. CAUS. 16. QUÆST. III.

11. In illo, discutiendæ incidentes, circà dogmata, ambiguitates. C. 36. vel 37. *Apostolor. ad calcem Decreti.*

§. VIII.

Quid faciendum, circà Concilii Provincialis Decreta?

Tria tantum in Canone præcepta leguntur circà Concilii Provincialis Decreta.

1. Ut quamprimum publicentur in Synodo Diocesana, à quolibet Provinciali Episcopo. Cap. ult. DIST. XVIII. C. 25. de Accusat.

2. Eorum observationem quilibet Comprovincialis curet Episcopus. *Eod. C. 25.*

3. Ut puniatur suspensione, qui alterutrum neglexerit. *Eod. C. 25.*

Nota obiter, circà pœnam, in primi præcepti transgressores C. ult. DIST. XVIII. citatum bimestrem ferre Excommunicationem, ipso facto incurrandam, quæ Excommunicatio, cum sit ad determinatum tempus, nunc usitata suspensioni non est ab similibus.

Cætera scitu necessaria in Corpore Juris omiſſa, circà Concilia, tam Generalia, quam Particularia, in subsequentibus Observationibus de hujusmodi Conciliis, explicabuntur.

APPENDIX AD REGULAS CIRCA CONCILIA, in quo DE SYNODO DIOECESANA.

Cum *Synodus Diocesana* condere possit Statuta, semperque usa sit hac potestate, eaque etiamnum passim gaudeat, sive tota illa resideat in Præside; sive partim in cæteris Synodi Membribus, de quo in Dissertatione, circà hanc Synodum, inferius subjicienda; æquum visum est, ut, quæ Textus Juris Canonici de hoc Cætu doceant, iis, quæ de Conciliis dicta sunt, subnecterentur, C. 9. de Major. & Obed.

REGULA UNICA.

Circà Synodum Diocesanam non alia docet Jus Canonicum, quam ista.

1. SYNODUS ex Græco interpretatur COËTUS. C. 1. §. *Synodus* DIST. XV.

2. Dicitur *Episcopalis*, quia ab Episcopo convocatur. C. 25. de Accus.

3. Synodus Diocesana celebranda est quotannis, idque tempore congruo, quale est, quod ad aliquid majus non deputatur; nec iter agentibus incommodum. 16. de 18. C. 25. de Accus. C. 2. Sess. XXIV. de Ref. C. 24. de Consecrat. DIST. III.

4. Inter Jura Episcopalia recensetur, eoque loci permiscetur, quæ ad Legem Diocesanam pertinent, cum spectantibus ad Legem Jurisdictionis: quare hinc inferre fas est, ad quam illarum Legum hoc jus spectet. C. 16. de Off. Ordin.

5. Nomine *Synodatici*, duo *solidi* debentur Episcopo. *ibid.* Apud Gallos, hoc jus ita vocatur, quia in Synodo solvitur: abolevit plerisque in locis.

6. Majora Diocesis negotia in ea tractanda. Undè, in ea publicanda à Conciliis Generalibus Decreta, vel à Conciliis Provincialibus, similibusve Statuta; in illa minuendus est Missarum numerus, quando nimis est, ita, ut omnes celebrari nequeant, vel Eleemosyna, ad hoc relicta, non est sufficiens. C. 16. Sess. XXIII. de Ref. *ibid.* C. 17. DIST. XVIII. C. 25. de Accus. C. 4. Sess. XXV.

In illa eligendi Judices, quibus causæ delegentur à Papa, ejusve Legato in partibus committendæ, quæque idèd ii esse debent, qui à Sede Apostolica delegari valeant. *Eod. Sess. C. 10.*

7. Omnes

7. Omnes Clerici ac Monachi Episcopali Jurisdictioni obnoxii, huic Synodo adesse cogi possunt; imò etiam exempti, qui Capitulis Generalibus non subduntur. c. 16. DIST. XVIII. c. 2. SESS. XXIV. c. 7. CAUS. XXXV. QUÆST. VI.

8. Cavendum, ne quid in illa statuatur, quod Canonicis obviet institutis. c. 9. de majorit.

9. Juxtà suppositam Eutichiano Epistolam, in Synodo eligendi erant 7. Testes qui jurarent, se detecturos quidquid reformatione dignum scirent.

Circà Synodum Diæcesanam plura hic quæri possent, illis, quæ alibi dicta sunt, sive in tractatu de Vicario Generali, iis præcipuè locis, in quibus de Episcopi Jurisdictione, sive, in Tractatu de Capitulis; sive dùm de præcedentiã actum est, facillè decidenda; nam v. gr. si jura temporalia Legem Diæcesanam spectent, evidens est, jus Synodos celebrandi, ad Legem Diæcesanam non reduci; si, quæcunque Episcopo non prohibentur, Episcopus facere valeat, palàm est, in Synodo, ab Episcopo, circà ea omnia, quæ sibi non vetantur, statuta condi. posse. Si Vicarii potestas ex commissione pendeat, in his, quæ usu vel jure communi ad Vicarium, sine speciali mandato non pertinent, oportet, ut convocatio Synodi, cum nec jure communi, nec usu, Episcopo non aded referretur, quòd ad illam mandato speciali egeat Vicarius, à Vicario fieri possit. Si in his, quæ ad alienationem pertinent, Capituli sui consensu egeat Episcopus, in aliis verò non egeat; manifestum est, illis de rebus, in Synodo nihil statuere posse Episcopum, sine prædicto consensu, de cæteris verò posse. Si in Cæteribus Ecclesiasticis, inter Ordinos vel Ordinum dignitas, vel Ordinationis tempus, quoad sessionem consideretur, inter alios verò, Officiorum dignitas, vel ad illa receptionis antiquitas; cui in Synodo, præcedentiã debeat, patet. Si delegari nullus possit, nisi dignitate præditus, vel Personatum in Ecclesiâ Cathedrali, vel Collegiata, vel Canonicatum, in Cathedrali, possideat, vel Prior Conventualis, Abbasve sit, nec non ætatem requisitam habeat; ita quoque nullus Synodalis Judex eligi valet, nisi unum ex his Gradum habeat, ut etiam ætatem ad id necessariam.

Cætera, quæ scienda sunt, circà Synodum Diæcesanam, & quæ prætermissa in corpore juris sunt, supplebit supra citata *Dissertatio*.

TITULUS XV.

Note Historica circa Concilia Generalia invicem collata, in quibus eorum præcipua discrimina & similitudines exhibentur, nec non asseritur æquitas Regularum & Usuum Gallicæ.

PARS PRIMA.

SECTIO I.

DUni collectionem Conciliorum P. LABBÆI Iustrarem, discenteremque ejus collectaneã circà Concilia Generalia, multa animadverti inter illa discrimina attentione digna; sive quia eorum plura Regulas (*Maximes*) atque usus Gallicæ confirmant; sive quia nullum est eorum quod scitu necessarium non sit, cum quodlibet pertineat ad aliquam è præcipuis hujus argumenti circumstantiis, 1. Nomen, 2. Convocatio, 3. Convocationis causã, 4. Locus celebrationis, 5. & Tempus, 6. Præsidentia, 7. Assistentia per Procuratorem, 8. Modus sententiam ferendi, 9. Definitiones circà Fidem & Mores, 10. Statuta circà Disciplinam, 11. Acta, 12. Subscriptiones, 13. Confirmatio Pontificia, 14. Recep-

Tom. I.

tio ab Episcopis, qui non interfuerunt, 15. Sumptus ad Concilium necessarii, 16. Numerus Conciliorum Generalium, quæ prout talia à Gallis agnoscuntur. Hæc autem discrimina colligenda esse existimavi, quia hac methodo Concilia facillè ab invicem distinguuntur, resque singulis eorum peculiare discuntur, sed prius quam longius prosequar, duo præstanda veniunt, 1. Nonnullæ observationes generales præmittendæ, circà res Conciliis Generalibus communes, & ea quæ sciri necesse est, prius quam minutior fiat enumeratio; 2. Monendum utriusque generis Notis subjiciendam esse earum accommodationem ad regulas ususque Gallicanos.

SECTIO II.

PRIMA OBSERVATIO Generalis circà Concilia Generalia in se ipsis seu in genere considerata.

Observandæ sunt imprimis conditiones requisitæ, ut Concilium pro generali habeatur. Porro juxtà definitiones Conciliorum *Constantiens. Sess. V.* & *Basileensis, Sess. II.* sciendum est, quòd caracter proprius Concilii Generalis sit, repræsentrare Ecclesiam Universalem, sicut caracter uniuscujusque Concilii particularis est, repræsentrare Ecclesiam particularem, à qua suam auctoritatem desumit. Et quidem utriusque Concilii Patres supponentes, Concilium Generale solum habere jurisdictionem sive superioritatem super Pontificem; cum autem necessarium foret, ut constaret ipsos habere auctoritatem in Pontifices sui temporis, Patres, inquam, declarant, se Concilium Generale constituere, quod prout tale Ecclesiam Universalem repræsentrat. Et primò declarat, quòd ipsa (*Synodus*) in *Sancto Spiritu legitime congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentrans.* Hactenus Concilium *Constant.* Basileense autem iisdem verbis utitur; hisi quòd, pro *Catholicam*, dicit *militantem*, quod quidem Epitheton vulgò soli Ecclesiæ Universalis seu Catholicæ tribuitur.

Cæterum, notio Concilii Generalis, ab utraque Synodo tradita, accuratissima videtur; nam Conventus Generalis alicujus Corporis, seu Universitatis, Corpus repræsentrare debet, undè fit, ut dicatur Comitia Generalia Provinciarum repræsentrare Provincias, & Comitia Generalia olim apud Gallos habita, totam Ditionem Gallicam repræsentrare. Porro Concilium Generale nihil aliud est, quàm Universalis Ecclesiæ conventus: ut igitur Concilium Generale sit, oportet, ipsum Ecclesiam Universalem repræsentrare; & proindè conditiones necessariæ, ut Concilium Ecclesiam Universalem repræsentrat, requiruntur ut Concilium pro generali habeatur.

Porro hæ conditiones sũnt 1. Ut omnes qui à Spiritu Sancto præpositi sunt ad regendam Ecclesiam, vocentur ad Concilium. 2. Ut omnes intersint, sin minus per se ipsos, saltem per Procuratorem, si legitimo impedimento detineantur. 3. Ut, si nonnulli non fuerint vocati, vel vocati neglexerint ire, vel etiam Procuratorem mittere, sive legitimum habuerint impedimentum, sive nullum, hi, inquam, ratum deinceps habuerint, quod gestum fuit.

Si aliqua ex his conditionibus desit, Concilium Ecclesiam Universalem repræsentrare non potest; quia minus ampla erit ejus auctoritas, quàm auctoritas Ecclesiæ Universalis: quippe Concilia tantumdem auctoritatis habent, quantum personæ ex quibus coalescunt. Præterea, Ecclesia congregata non nisi accidentalitè differt à dispersa Ecclesia, Porro Concilium est Ecclesia in eundem locum conveniens,

Q

111